



<sup>Q. F. F. Q. S.</sup>  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
CELEBERRIMI AUTORIS

<sup>De</sup>  
RATIONE STATUS  
Dissertationem IX. & X.

<sup>De</sup>  
POLYARCHIS, FOEDERIBUS,  
ET IMPERIO ROMANO,  
<sup>deque</sup>  
IMPERATORIS MONARCHICA  
POTESTATE,

Cum adjuncta Qvæstione

*An liceat in benè constituta Republ.  
publicè qværerere?*

Publicè ventilabunt

Die XIV. Septembr. M DC XCVI. à X. ad XII.  
& pomeridianis à III. ad V.

CHRISTIANUS THOMASIUS,  
& Respondens  
PETRUS BOJE, Dithmarso-Holsatus,

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT.  
BRANDENB. Typ.





QVÆRO V.

An liceat in benè constitutâ Republicâ publicè qværerè? Videtur.

§. I.



*Sophista.* Mihi non videtur, proba.  
*Philosophus.* Atqui mihi non incumbit probatio, cur enim non liceret quod nullo jure prohibitum est? Tuum igitur si mihi vis contradicere, erit, probare & ostendere quo jure hoc non liceat. Ne tamen de re obscurâ disquiramus, paucis cum pace tuâ liceat sensum quæstionis paululum explicare. Alibi jam dixi: quod interrogare, dubitare, & investigare usurpem synonymicè, adeoque uti interrogatio & investigatio jam communi *quæstionis* nomine notari solet, ita & sub eâdem comprehendo dubitationem. *Publicè* id appello, quod vel nullâ intentione occultandi sit in loco etiam privato, et si paucis notum sit, vel quod etiam sit in loco publico, ita ut reipsâ in plurium perveniat notitiam. Per *benè constitutam Republicam* non intelligo rempublicam secundum ideam status perfectissimi, sed talem, quæ in negotiis, de quo quæritur, non aliquid admittit rectæ rationi repugnans. Denique *per licentiam* intelligo non tam externam seu impunitatem, quàm internam seu tranquillitatem conscientiz. Quo pacto duplex quasi in quæstione proposita continetur quæstio. An qui in Republicâ, ubi id non est prohibitum, publicè dubitationes suas proponit, in conscientia tranquillus sit? Et: An, si Respublica hanc licentiam per legem civilem tollat, committat aliquid contrariationem? Utrumque videtur. Jam, si lubet oppone.

§. II. s. Et.

Typis CHRISTOPHORI WALTHERII, RASCHNERI ERACT.  
BRANDENBURGICI.

§. II.

S. Ergo de omnibus dubitas. Cartesianus es, Atheus es. Non est tolerandus in bene constitutâ Rep. P. Vide quam multas in paucis verbis iniquitates adversus me committas. Cartesianus non sum. Et si essem, Atheus non essem. Et si Atheus essem, (quod Deus avertat!) propterea tamen ex bene constitutâ Republicâ non forem ejiciendus. S. Quid audio? Atheos in bene constitutâ Republicâ esse tolerandos? Qualis dementia? P. Quæro ne responsionem meam interpellas, nondum enim absolvi. Ne à scopo dilabamur, argumentum de tolerantia Atheorum jam ad aliam disputationem reponamus, & ut interim tibi non planè absurdus videar; peto ut id pensitare velis, à vobis in bene constitutâ Republicâ tolerari, non dicam scortatores, adulteros, fures, latrones, sed ebrios, vanos, superbos, avaros, & si omnia deficerent, stultos. Jam in viam. Cartesianus non sum, quia non dico dubitandum esse de omnibus, non dico, dum dubito, me etiam id, de quo dubito, interim negare, sed saltem nescire, & id quærere.

§. III.

S. Non dubitas de omnibus? De quibus ergo rebus putas dubitari posse? de quibus non? Alias enim non possum tibi opponere. P. Jam explicui meam mentem in *Praxi Logices* c. i. n. 49. usque ad 86. Non de propositionibus, quæ statim in sensus incurrunt, & quæ ab iis absque longâ ratiocinatione abstrahuntur, sed de primis cognoscendi principiis, & conclusionibus remotioribus à sensu. S. Ista non quæro. Putasne etiam de rebus Theologicis dubitari posse? P. Mallem ista omitteres; jam enim magis de quæstionibus Philosophicis quam Theologicis sum sollicitus. S. Sed tamen informationis gratia hæc quæro, nec dubito, quin mihi humanitatem responsionis non sis denegaturus. P. Ergo & responsionem accipe. De rebus Theologicis quam maximè, quia maximè hic interest veritatem nosse. Cave vero per res Theologicas intelligas litigia inania, & quæ ad salutem hominis non conducunt. Nam de omnibus

inanimis cujuscunqve generis sunt, illicitas quæstiones esse arbitror, quia pro fine vel stultam voluptatem, vel inanem gloriam, vel execrandum odium habent.

§. IV.

s. His quidem effugiis non evades Hypocrita. Firmiter enim te teneo. Spinolista es, Atheus es, libertatem philosophandi cum præceptore isto Tuo, a tot eruditis & piis viris nostratibus, etiam à Patre Tuo impugnatam defendis. P. Enimvero ego recriminari nolo, quamvis apertum sit, te non informationis gratia mihi, ut præ te ferebas, quæstionem proposuisses, verum ut mihi laqueum poneres, quem tamen per Dei gratiam facile evadam. Cur crimina quæris, cur sectarum nomina adducis, ubi de veritate assertionis aut falsitate quæstio est? Veritas nec vitium est nec virtus, idem de falsitate dicendum est. Sim qui sim, prudens an insanus, quid id ad Te? Oppone contra thesin. Insaniam Atheus, insaniam Spinosa: Quid id ad quæstionem præsentem? Nonne in benè constitutâ Republicâ licebit insanire? Sed falleris amice, Spinosista non sum. s. Tu non es Spinosista? Annon Spinosa scripsit *tractatum Theologico Politicum*, in quo, ut titulus ejus apertè præ se fert, ostenditur, Libertatem Philosophandi non tantum salvâ pietate & Reipublicæ pace posse concedi: sed eandem nisi cum pace Reipublicæ ipsâque Pietate tolli non posse. Annon tu idem dicis? P. Enimvero si eadem dicerem, quæ alicubi Spinosa dicit, propterea Spinosista non essem. Dicit Spinosa v. g. *Part. III. Erb. p. m. 153. Superbiam esse, si quis plus justo sentiat de se præ amore sui. Poteris & tu Amice eandem sententiam fovere, & tamen Spinosista non esse. Sed transeat hoc: nego me illa dicere, quæ continet titulus Libri Spinosiani. s. Probo: Libertas Philosophandi nihil aliud est quam libertas tua quærendi. Dum enim quæris, nonne philosopharis? Vapulat Spinosa, quod hanc libertatem Philosophandi extendere ad res Theologicas. Et tu cum eadem facias, non vis Spinosista esse, non vis vapulare. P. Non facio eadem. Inverto: Qui quærit non Philosophatur. Philosophari est rem affirmare cum ratione, aut negare cum ratione. Spinosæ vero philosopha-*

phari est affirmare aut negare cum ratione etiam ineptâ, seu absque recta ratione. Ita enim se ipsum explicat *d. tractatu Cap. ult. Ostenditur in liberâ Republicâ unicuique & sentire quæ velit, & quæ sentiat dicere licere.* At ego quæro, non an liceat sentire, sed an liceat dubitare? non an liceat dubitare, quæ quis velit? sed an liceat dubitare cum ratione? non: an liceat errores quoscunque propalare? sed an liceat errores oppugnare & veritatem investigare?

§. V.

S. Transeat Spinoza. Novam objectionem formo. Si liceat in benè constituta Republicâ etiam de rebus Theologicis quærere, turbabitur tranquillitas Reip. turbabitur ordo publicus, qui jubet quatuor distinctas esse facultates, neque Jctum, Medicum aut Philotophum debere involare in castra Theologorum. P. Utinam vos hoc monitum observaretis, & vel Philosophiâ cum Theologia, vel Theologiam cum Philosophiâ non confunderetis! Minimè turbant quæstiones meæ distinctionem facultatum. Ego Theologiam doceri nolo à Jcto, Medico, vel Philosopho. Non docet quæstio veritatem, sed eam inquiri. Permitteris credo, ut Jctus, Medicus vel Philosophus possit veritatem à Theologo investigare. Nolumus involare in castra Theologiæ, expectamus informationem in vestibulo. S. Certè non pertinent hæc quæstiones ad Cathedram tuam. P. Neque etiam in cathedrâ meâ vel proposui eas, vel proponam. Relinques vero locum, si talia vellem quærere in subselliis auditorum vel opponentium, qui nihil aliud quam quærentes esse debent.

§. VI.

S. Minimum valdè periculosa est hæc licentia. P. Periculosa utique, sed errori, sed vitio. At eo major utilitas inde in Rempubicam redundabit. Periculosa etiam res aliquando quærenti, quia veritas odium parit, quia qui veritatem quærunr, multa damna patiuntur à potentia errantium & vitiosorum. Sed hoc indicium esset malè constitutæ Reipublicæ. Et si non esset etiam, quid istud periculum ad te?

) ( 3

§. VII. S.

S. Imò potius periculosa toti Reipublica, quia possunt sub prætextu hujus licentia etiam errores valde perniciosi in Republica disseminari. Nam quid si quis v. g. ex principiis Jesuiticis quæreret: *Annon liceat principem interficere?* Et responderet, id sibi videri? P. Is haud dubie peccaret, non quarendo, sed respondendo, quia etiam si responsionem pro dubitatione vellet habere, dubitaret tamen sine justa ratione. At defendendo saltem licentiam dubitandi cum ratione. Et magis vos ferit hæc obiectio quam me. Quot extant disputationes de tyrannicidio? quot limitationibus additis admittitur interfectio principis tyranni? aut si non admittitur, sed magno conatu omne tyrannicidium refutatur, minimum iste refutans sententiam quam refutat, habet pro verosimili, vel dubia, eo ipso quod tanto conatu refutat. Quis enim unquam disputavit contra hominem v. g. negantem bis duo esse quatuor? aut contra Cartesianum, qui dum vigilat, dubitat, an habeat manus vel pedes; an vigilet vel dormiat? antequam istud suum; cogito, ergo sum, invenit. Uti enim contra negantem principia non est disputandum, ita contra dubitantem absque ulla ratione etiam disputandum non est.

§. VIII.

S. Sophista es, vis me per hunc discursum averterere à scopo. Per alias necessarias consequentias possum ostendere damnosam esse Reipublica licentiam tuam. P. Audiam, modo sint tales consequentia necessaria, quas necesse non sit prohibere. Scies enim haud dubie, istam licentiam necesse est necessarias consequentias, quæ multi abutuntur in contumeliam honestorum virorum, in turbas Reipublica, hic per Dei gratiam esse prohibitam. Neque graviter feret, quod hæc moneam, quia jam sæpius contumeliosis nominibus me infectatus fuisti. S. Apage. Ista potius turba, ista calumniandi licentia ex tua doctrina sequitur. Quid si enim quis cum ratione aliquam verosimili quærat? Annon Titius sit scortator, latro, improbus? &c. Vides quanta fenestra aperiatur omnibus nequitis.

P. At



*P.* At quis tibi dixit, quod hæc licentia sequatur ex doctrina meâ? Annon supra dixi, illicitas esse quæstiones, quæ pro fine voluntatem, gloriam & odium habent? Quod si hæc nondum videantur satis clara, aliis modis evitabitur ista objectio: Permittatur licentia quærendi, sed ne quid fiat in fraudem legum, ne quid fiat contra bonos mores. Aut: Permittatur licentia quærendi publicè, circa universalia, circa singularia maxima adhibeatur cautio.

§. IX.

*S.* Sed cur præcisè præteritis licentiam quæstiones ejusmodi publicè proponendi. Si privatim fierent, tolerari possent. At publicè si fiant, multa possent oriri scandala. *P.* Vide quam insidiosè agas. Si de privatâ licentiâ quæsissem, dixisses, eam esse criminis suspectam, quia privata esset, nunc cum suspitionis hujus avertendæ causâ publicam elegi, suspicio scandalorum adest. Ita nunquam quæ vobis displicent, sine scandalo sunt. Et ipsa adeo veritatis inquisitio vobis scandalosa est. Est scandalum acceptum Domine, non datum, est scandalum pro Hypocritis & Sophistis, non pro veritatis & virtutis amatoribus.

§. X.

*S.* Quidsi ergo Princeps aliquis hanc licentiam tibi tolleret, diceresne: Principem erga te peccasse? *P.* Respondemihî prius, si Princeps tibi sine causa licentiam exspatiandi extra portam auferret, diceresne: Principem erga te peccasse? *S.* Jam ego ex te quæro. Tuum est mihi respondere. *P.* At hæc quæstio inanis est, quia pro fine odium habet, quia hac quæstione novam causam criminandi quæris, quia crimine læsæ majestatis, more seculi Tiberiani, me involvere cogitas. Est hæc quæstio injuriosa in *PRINCIPEM OPTIMUM*, à quo abfit, ut Eum suspicemur rem justissimam & utilissimam prohiburum esse. Absit, ut timeamus tempora ni fallor Dionysii, sub ejus imperio non licebat publicè colloqui aut flere.

§. XI. s.

§. XI.

*S.* Ain vero licentiam hanc quærendi habere usum in Republicâ? *P.* Equidem magnum. Veritatem invenire absque quæstione non possumus, quæ quæstio quò magis publica est, eò magis occasio datur aliis nos in hâc intentione adjuvandi. Errores & Ignorantiam quæ sub larvâ sapientiæ regnant, non melius oppugnare possumus, quàm quæstionibus. Assertionibus si eam aggrediamur, parata est excommunicationibus, igne, gladio, fuste, exilio. At dum ignorantiam quæstiones proponim9, dum ignorantiam nostrâ profitemur, & oramus informationē quam dare non potest, dum nihil firmiter asserim9, non potest ita facile quæstio pro crimine traduci, non potest non ignorantia se ipsam publicè prostituere. Ita Socrates Sophistas aggressus est, ita Christus Phariseos confundit. Et hæc causa est, cur licentiam hanc nemo magis odio prosequatur, quam Sophistæ & fratres ignorantiam.

§. XII.

*S.* Quid ais pessime? An me pro Sophista habes? Non quiescam, nisi te cum licentiâ tuâ è Republicâ eiecero, ne quid dicam gravius. *P.* Addendum erat: Si Deus voluerit, Qui si voluerit, in ipsius placito acquiescam. Neque enim hæc objectio distinctione resolvitur, sed patientia.

TANTUM.



00 A 6336

ULB Halle 3  
002 928 728




56.

VB 17

Retra ✓





2. F. F. 2. S.  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
CELEBERRIMI AUTORIS

De  
RATIONE STATUS  
Dissertationem IX. & X.

De  
POLYARCHIS, FOEDERIBUS,  
ET IMPERIO ROMANO,

deque  
IMPERATORIS MONARCHICA  
POTESTATE,

Cum adjuncta Qvæstione

*An liceat in benè constituta Republ.  
publicè quærere?*

Publicè ventilabunt

Die XIV. Septembr. M DC XCIII. à X. ad XII.

& pomeridianis à III. ad V.

CHRISTIANUS THOMASIIUS,

& Respondens

PETRUS BOJE, Dichtmarso-Hölsatus.

HALÆ MAGDEBURGICAE

Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT.  
BRANDENB. Typ.

